



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilivm Ravennate I. Causa Reformandae Ecclesiasticae disciplinae
celebratum anno Domini MCCLXXXVI. tempore Honorii papae IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1186.

CONCILIVM RAVENNATE I.
CAVSA REFORMANDÆ ECCLESIASTICÆ
disciplinæ celebratum anno Domini MCCCLXXXVI.
tempore Honorii papæ IV.

TITVLI CAPITVLORVM.

- I. *Ne clerici ioculatores vel histriones a laicis transmissos recipiant.* V. *De quotidianis distributionibus.*
- II. *De pauperibus alendis & vestiendis.* VI. *De testamento usurariorum.*
VII. *De decimis.*
- III. *De honestate & habitu clericorum.* VIII. *De criminibus & delictis specialiter episcopis reservandis.*
- IV. *De promotione habentium pa-* IX. *De immunitate ecclesiarum.*

INFRA SCRIPTÆ SVNT CONSTITVTIONES,
statuta, & ordinamenta edita & facta per provinciale Concilium sanctæ Rauennatis ecclesiæ, videlicet per venerabilem patrem dominum Bonifacium, diuina gratia sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopum, & suffraganeos eius sufficienter requisitos, & consentientes per se aut per idoneos procuratores.

CAPITVLA.

RVBRICA I.

NON sine temeritate consuetudines inducuntur quæ lege damnantur. Cum igitur laicorum importunitate, qui clericis plurimum sunt infesti, consuetudo, quæ potius est dicenda corruptela vel abusus, videatur induci, non sine animarum clericorum prouinciæ nostræ periculo; vt cum laici decorantur cingulo militari, seu nuptias contrahunt, ioculatores & histriones transmittunt ad clericos, vt eis prouideant, prout & idem laici faciunt inter se, ex quo contingit vt cum clerici de ecclesiarum communiter facultatibus sustententur, suo patrimonio proprio consanguineis refer-

uato, ipsas facultates ecclesiarum pia fidelium deuotione collatas ecclesiis, ex quibus debent pauperes sustentari, distribuant, seu potius effundant in huiusmodi vsus illicitos, propter quæ multum denigratur clericorum honestas. Talem autem & tantum volentes remouere abusum, statuimus, vt nullus clericorum nostræ prouinciæ, quocumque fungatur honore vel statu, a talibus ioculatores vel histriones transmissos recipiat, seu provideat aliquid propter victum, etiam transeundo. Si quis autem contra fecerit, duplum eius quod dederit ioculatori vel histrioni restituere ecclesiæ a qua habet beneficium teneatur, per ipsum in vsus pauperum conuertendum.

RVBRICA II.

Doctōris illius præcipui prædicatoris egregii institutione freti, ad pietatis exercitium nostræ prouinciæ clericos cum remuneratione thesauri dominici inuitamus, & præsertim prælatos, qui quanto plura a mundi Auctore accepisse cernuntur, tanto ad plurima tenentur obnoxii: quia cum dona augmentur, rationes etiam crescunt donorum. Hoc non attendentes quamplures ecclesiarum prælati, quotidie epulantur splendide, & cibis delicatis superflue vtuntur ad velle, ac quadruplicata sibi indumenta conseruant: & ostiis clausis a foris, ex Christi pauperibus alii cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa ipsorum clamant ad ostium, & nemo aperit; alii verecunde in eorum domibus se includunt, vel quia carnem suam vili
etiam

ANNO
CHRISTI
1286.

etiam indumento cooperire non possunt, seu quia verecundum est eis, propter conditiones quæ insunt, publice mendicare, dum nemo illis manum porrigit adiutricem: isti semper esuriunt, & illi abundant, & cibi, quibus tales pauperes ali deberent, neglecti in domo corrumpuntur & dissipantur, & eorum indumenta tinea comeduntur. Quantum autem in præmissis excedant, cui Dominus plus discretionis donauerit, plus aduertat, quia amplius requiretur ab eo. Porro volentes ipsos, tam pœnarum timore, quam præmiorum retributione excitare, & inducere ad opera pietatis, hoc laudabili Concilio ordinamus, vt per prouinciæ nostræ prælatos, & clericos vniuersos, prout eis suppetunt facultates, necessaria pauperibus ministrentur. Is autem suffraganeorum nostrorum, qui per totam septimanam quatuor, semel in die, refecerit pauperes; abbatum, qui duos; archidiaconorum, præpositorum, archipresbyterorum, & aliorum prælatorum, qui vnum, ac aliorum clericorum, qui semel in die, in septimana refecerit pauperes, de pœnitentiis iniunctis eidem, vnius anni indulgentiam habeat. Hanc etiam indulgentiam illi concedimus qui nouum pauperi dederit indumentum. Si autem antiquum, quadraginta dierum indulgentiam de iniuncta ei pœnitentia relaxamus.

RUBRICA III.

Licet sit canonica sanctione statutum, vt excommunicentur clerici arma portantes, & vt habitum, coronam, & tonsuram deferant congruen-

Concil. Tom. 28.

LIII

tem, & sæpe ab ecclesiarum prælatiſ, iuriſdictio-
nem habentibus, clerici noſtræ prouinciæ monean-
tur, ne in præmiſſis excedant, eorum tamen parui-
pendentes monitionem, non videntur de excom-
municatione curare. Volentes prædictos ſpiritua-
lia vincula contemnentes temporali pœna ab his
compelſci, propter quæ non modice derogatur ec-
cleſiaſtica hæoneſtati, ſtatuiſmus vt, ſi quis de cetero
poſt publicationem huius Concilii inuentus fue-
rit publice arma portare, abſque iuſta & manifeſta
cauſa, ac licentia ſui diœceſani, pro quolibet ar-
morum, a ſuo prælato iuriſdictioſem habente,
condemnetur in ſolidos quadraginta, ad minus:
nec prælati ipſorum, ex quo ſine cauſa & licentia
ſui prælati fuerint reperti culpabiles, poſſint omit-
tere quin condemnet, & exigant, prout culpa ip-
ſorum requiret: cum hoc ſtatuiſmus in fauorem ec-
cleſiaſtica hæoneſtatis. Qui autem compertus fue-
rit habitum, coronam, vel tonſuram incongruen-
tem portare notabiliter, pro vice qualibet in quin-
quaginta ſolidos condemnetur.

RVBRICA IV.

Concilium
Lugdunense
II. capitulo
13. supra
pag. 564.

Eſt ad regimen parochialium eccleſiarum af-
ſumpti, ante generale Concilium Lugdunenſe,
quod incipit, Licet Canon, ex quo præfixo a Ca-
nonibus tempore ſe non fecerint in præbyteros
ordinari, de iure a miniſterio ſiue ab officio eis
commiſſo remoueri poſſint & debeant, & aliis eo-
rum eccleſiæ concedi: quia tamen in executione
memorati iuris ſe multi exhibent negligentes, nos

ANNO
CHRISTO
1256.

ipforum negligentiam hoc salubri Concilio sup-
plere volentes, statuimus vt infra proximum fe-
stum resurrectionis dominicæ se faciant in presby-
teros ordinari. Quod si infra tempus præfatum,
se in presbyteros promoueri non fecerint, nulla
alia monitione præmissa, omni iure, quod in ipsis
ecclesiis habebant, decernimus fore priuatos: licet
generale Concilium Lugdunense assumptos post
ipsum Concilium, ad regimen ecclesiarum paro-
chialium, nulla etiam præmissa monitione, decer-
nat esse priuatos ipsis ecclesiis, nisi se fecerint a sibi
commissi regiminis tempore in presbyteros ordi-
nari; sunt tamen quidam qui mentem dicti Con-
cilii circumueniunt, facientes se in fine anni, post-
quam priuati fuerint, eligi iterato. Contra dolosos
tales prouidere volentes, statuimus vt siue per do-
lum, siue per negligentiam steterint, seu alio frau-
dulento modo quocumque, quod promoti non
fuerint, infra annum, ipso facto quoad rectorias
ipsarum ecclesiarum, vel ad quas se neglexerint fa-
cere promoueri, quantum ad electiones, quæ in
ipsis ecclesiis primo occurrerint faciendæ, inhi-
bere indicamus.

RUBRICA V.

Dignum est vt quos ad vitæ decora domesti-
cæ laudis exempla non reuocant, saltem correctio-
nis medicina compefcant. Sane relatu comperimus
plurimorum in nonnullis ecclesiis nostræ prouin-
ciæ consuetudine obseruari, & in aliquibus aliis
constitutione firmatum, vt præter reditus benefi-

Concil. Tom. 28.

LIII ij

ciorum, & præbendarum; de quibus nihil ad præfens volumus immutari; prout quotidie resident, redditus aliquos alios, tantum in ecclesia residentes, pro rata residentiæ, quam in ecclesia faciunt, percipiant: & quod ad huiusmodi consuetudinem, & statutum, quidam prava interpretatione obaudientes, ac minus quæ Dei sunt cogitantes, in animarum suarum periculo, dum tamen in camera resideant, dato quod intrent in ecclesiam ad diuinum officium celebrandum tantum semel in mense, ipsos redditus specialiter ob fauorem residentiæ deputatos, vt Deo & ecclesiæ seruiatur, & diuinæ laudis organa in ipsa horis singulis decantentur, sibi vsurpant; propter quæ generatur grande scandalum proximorum qui ecclesiæ militant, prout debent, ac refrigerat in eis laudabile propositum, quod habebant. Ne igitur culparum illorum efficiamur participes, ipsa prava interpretatione summota, ac tali consuetudine obseruata, statuimus declarando, & statuendo declaramus, vt illi tantum dicantur in ecclesia residentes, quoad præmissos redditus qui distribuuntur, prout quotidie resident, seu sit bladum, seu vinum, siue sint pecuniæ, vel alia bona, qui in ecclesia sua cum fratribus aliis horis debitis pensu seruitutis nostræ, videlicet Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, Completoriumque persoluerint: alioquin percipiant ex ipsis redditibus nisi prout seruierint ecclesiæ, iuxta ordinationem nostram infra proxime annotatam.

Et vt hæc constitutio inuiolabiliter obseruetur, volumus, & sub excommunicationis pœna manda-

ANNO
CHRISTI
1186.

mus, vt infra duos menses, a die publicationis præsentis Concilii computandos, omnes & singuli clerici ecclesiarum nostræ prouinciæ, vbi sunt plures clerici ordinati, & tales sunt redditus, de quibus supra præmisimus, hanc teneantur constitutionem sacramento firmare, & omnes etiam qui in posterum assumentur, antequam ad redditus admittantur. Vbi vero in ecclesia redditus tales non sunt, diocesani locorum in Synodis suis, quas eos contigerit celebrare, prouideant, prout secundum Deum melius poterunt, ne in ipsis ecclesiis horis canonicis officium negligatur. Quod si maior de capitulo, vel vbi omnes sunt pares, qui proximo ipsis clericis præest, non fecerit hoc sacramentum præstari, sui beneficii periculo subiacebit, mulctandus per prouinciale Concilium, seu superiorem ipsius, vel per alium qui hoc possit.

Proximum supra scriptum Concilium in quantum rite possumus ordinare & declarare volentes, statuimus vt infra duorum mensium spatium a die publicationis huius Concilii ordinetur, quot & quantum habere debeat qui Matutino interfuerit, & aliis horis canonicis, ex redditibus de quibus supra proximo Concilio est præmissum, vbi tales sunt redditus. Et quia in specie dare in hoc doctrinam non possumus, cum aliquæ ecclesiæ plus abundant, aliæ vero minus, prout possumus, prouidemus hoc modo, videlicet, vt qui Matutino interfuerit, duplum eius habeat quod habebit qui erit in Missa; qui autem Tertix & Sextæ, medietatem eius habeat quod ei fuerit datum in Mis-

sa: & idem in Nona seruetur quod est in Tertia & Sexta præmissum: qui autem in Vesperis & Completorio, tantum habeat quantum qui Missæ interfuerit, secundum præmissa. Vt clare intelligas, suppone quod decem sint denarii distribuendi in dies pro quolibet canonico: de ipsis decem denariis dabis ei qui interfuerit Matutino denarios quatuor; qui Missæ, duos; qui Tertiæ & Sextæ, vnum: & vnum qui interfuerit Nonæ: & qui interfuerit Vesperis & Completorio, dabis duos denarios, vt dedisti in Missa.

Verum quia nec sic est secundum quod præmissum est, ad plenum contra dolosos prouisum, qui venire possent ad horas canonicas, non tamen hora debita, & si in hora debita, non tamen starent quousque officium completeretur, contra eos statuimus, vt is dicatur Matutino interesse qui ad ecclesiam venerit antequam Venite cum hymno cantetur, cum hymnus dicitur: alias cum dicitur, Venite, cum primo psalmo; ex quo hymnus tunc non cantatur; & steterit quousque Prima completa fuerit. Qui Missæ, antequam cantetur Kyrie eleison, & steterit quousque fuerit finita Missa. Qui Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperis, & Completorio, antequam psalmi incipiantur, & steterint quousque fuerint dictæ horæ perfectæ: aliter nihil percipiant. Quicumque autem contra fecerit, præter reatum periurii, teneatur ad duplum illius quod perceperit restituendum ecclesiæ, cui seruitium debitum est subtractum, conuertendum in ornamenta ipsius ecclesiæ.

ANNO
CHRISTI
1186.

In aliis autem ecclesiis, ubi reditus non sunt tales, locorum ordinarii in quantum commode poterunt remedium salubre adhibeant, ut ipsis seruiatur ecclesiis, prout decet. Et ne per presentes aliqua fiat fraus, ordinamus quod campanarum horarum in nocte & die tantum pulsentur, quod omnes confratres se possint parare ad intrandum ecclesiam, nec incipiatur officium, antequam campana pulsare cessauerit.

Vt misericordia temperemus rigorem, statuimus & ordinamus, ut illi etiam residere dicantur, quoad superscriptos reditus, dato quod non intersint horis diuinis; qui solennem medicinam receperint, per tres dies proxime subsequentes: & qui minutionem celebrauerint, per duos dies: & alii etiam qui infirmitate grauari absque læsione graui suæ personæ venire non possunt: illi etiam qui dicta de causa exeunt. Item vel illi qui ad superfluitatem corporis deponendam exeunt, dum tamen sic cito redeant, quod contra huius Concilii, & superscriptorum Conciliorum mentem non noventur fecisse: & propterea volumus, & mandamus, quod omnes istæ tres constitutiones iuramento firmentur, quod contra ipsas, vel earum aliquam, non committetur fraus vel dolus per eos.

RUBRICA VI.

Cognoscentes salubrem constitutionem generalis Concilii Lugdunensis, quæ incipit, *Quamquam* usurarii manifesti, ac volentes ipsam intra prouinciæ nostræ terminos ab omnibus inuiolabi-

Concilium
Lugdunen-
se II. cap.
27. supra
pag. 579.

liter obseruari, statuimus quod nullus notarius nostræ prouinciæ alicuius vsurarii testamentum conficiat, seu vbi conficiatur intersit, nisi presbyter parochialis sit præsens, cuius est parochianus testator: & ante omnia si dictus presbyter postulauerit, quod forma fuerit dicti Concilii obseruata.

Si quis autem notarius dictæ prouinciæ contrarium scienter attentauerit, in ipsum per hanc nostram constitutionem excommunicationis sententiam promulgamus. Et ne parochiales presbyteri in tenore prædicti Concilii aliquo decipiantur errore, volumus & mandamus, quod omnes præfati presbyteri tenorem dicti Concilii teneantur habere, & quod locorum ordinarii in episcopalibus Synodis annuatim per singulas dioceses celebrandis per se, vel per aliam personam sufficientem, dictum Concilium suo clero exponant, & aperiant ita clare, quod nullus habeat iustam causam ignorandi ea quæ continentur in eo.

RUBRICA VII.

Cum iure diuino & humano decimæ debeantur, & in signum vniuersalis dominii sibi ipsas Dominus reseruauerit, exactiorem ipsarum præterire non possumus nec debemus, absque animarum periculo nobis subiectarum, & ecclesiarum nostrarum læsione enormi: proinde statuimus vt ecclesiarum prælati, & clerici vniuersi nostræ prouinciæ, quibus debentur decimæ de consuetudine vel de iure, sint solliciti exigere decimas ab iis
qui

ANNO
CHRISTI
1186.

qui eis tenentur, ac diœcesani ipsorum se pronos exhibeant absque damno moræ in monitionibus & coactionibus inferendis: vt videlicet, monitione præmissa canonica, excommunicent decimas non soluentes: nec negligant nec retardent quæ in hoc casu fuerint facienda de iure. Quod si aliquis contemnens decimas soluere excommunicationis fuerit ligatus sententia, & eam per mensem sustinerit animo indurato, contra ipsum contumacē, quoties diœcesanus fuerit requisitus, teneatur inuocare cum effectu solicite auxilium brachii sæcularis. Si quis suffraganeorum nostrorum in executione huius statuti fuerit negligens vel remissus, per suum metropolitanum, vel per Concilium prouinciale subsequenti tempore celebrandum, durissime redarguatur, & etiam puniatur.

RUBRICA VIII.

Ne ducatum præbeat cæcus cæco, casus, in quibus volumus solos adiri episcopos, per hanc nostram constitutionem ecclesiarum rectoribus nostræ prouinciæ intimamus: districte eis sub excommunicationis pœna mandantes, ne de his se vllatenus intromittant, sed illos ad suum in his casibus diœcesanum remittant, qui in his vel eorum aliquo eis voluerint confiteri. Casus autem sunt hi, videlicet, cum quis petit absolui ab excommunicatione maiori lata, vel inducta ab homine, vel a iure: item incendio & crimine publico; sicut in blasphemante Deum, vel sanctos: item in voto qualitercumque emisso: & cum illis, qui filios oppresserunt ex pro-

Concil. Tom. 28.

Mmm m

posito, siue casu: & cum quibuslibet homicidis & sacrilegis, falsariis, violatoribus ecclesiarum & immunitatū ecclesiasticæ libertatis, & sortilegis: item cum iis qui cum brutis libidine polluuntur: item cum incestuosis & corruptoribus sanctimonialium: & in omni occupatione, vsurpatione & detentione rei alienæ, vbi cui restitutio fieri debeat non inueniri potest: item cum periuris, & clandestine matrimonium contrahentibus, ex quo matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri possit: & in omnibus aliis criminibus, delictis & excessibus, in quibus de consuetudine generali vel speciali episcopis seruatur confessio.

R V B R I C A IX.

Quoniam quidam perditionis filii libertatem ecclesiæ attributam nituntur infringere, quinimo * esse assidue plura ordinentur remedia, semper tamen de malo prolabuntur in peius, ac in sua pertinacia durius confirmantur, oportet nos vigilantissimi studio intendere ad reprimendam ipsorum malitiam peruersorum. Attendentes igitur, quod licet singuli qui statuta edita, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem seruari fecerunt, vel fecerint, quive secundum eadem statuta, seu consuetudines præsumpserunt, vel præsumpserint iudicare: nec non statutarii & scriptores statutorum ipsorum, potestates, consules & rectores locorum, vbi de cetero huiusmodi statuta vel consuetudines introductæ fuerint, editæ vel seruatæ, maioris excommunicationis sint liga-

ANNO
CHRISTI
1286.

ti sententia; hi tamen, ipsa excommunicationis sententia vilipensa, in ipsorum animæ detrimentum, perceptioni sacramentorum, & participationi fidelium se immiscent; hoc non valentes tolerare vel dissimulare diutius absque ecclesiarum nostræ provincie læsione enormi, volumus & mandamus vt annis singulis in natiuitate & paschate resurrectionis Domini, ac in solennitate sanctorum omnium, coram fidei populo denuntietur publice in Missarum solenniis, omnes & singulos supra scriptos in maioribus ecclesiis ciuitatum, castrorum, & aliorum locorum, vbi sunt conuentuales vel collegiatæ ecclesie nostræ provincie, maioris excommunicationis vinculo fore ligatos. Insuper monemus potestates & rectores, antianos, consiliarios & officiales, quibuscumque nominibus nuncupentur, ciuitatum, castrorum, & locorum provincie nostræ, quod ipsa statuta infra menses duos, a die publicationis præsentis Concilii computandos, de capitulariis suis deleri faciant. Et quoniam contemptu crescente poena debet augeri, ad priuationem omnium honorum, officiorum, gratiarum, immunitatum, priuilegiorum omnium, ac insuper feudorum, & bonorum omnium aliorum, quæ ab ecclesiis nostræ provincie tenent, procedemus, prout crediderimus esse de iure, nisi ipsa statuta de suis capitularibus deleri fecerint, vt superius est præmissum, infra terminum supra scriptum. Quod si nec sic a tam nequam proposito curauerint resiliire, a quocumque cuius intersit, denuntiatione facta metropolitano, qui erit pro tempore in se-

quenti prouinciali Concilio, ante omnia teneantur in Concilio præsidentes, super hoc præmissis aliis, cura sollicita prouidere.

Leetæ & publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones, statuta & ordinamenta in choro superiori sancti Mercurialis Foroliuiensis, & ordinatæ & confirmatæ per superscriptos venerabiles patres, dominum archiepiscopum & suffraganeos eius, scilicet dominum S. episcopum Imolensem, dominum Y. Dei gratia episcopum Fauentinum, dominum R. Dei gratia episcopum Foroliuiensem, dominum Thaddæum Dei gratia episcopum Forlipopiliensem, dominum Aimericum Dei gratia episcopum Cæsenatensem, dominum Henricum Dei gratia episcopum Saxenatensem, & dominum B. Dei gratia episcopum Adriensem, & procuratores episcopi Bononiensis, episcopi Ceruensis, episcopi Mutinensis, episcopi Parmensis, sub anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, indictione decimaquarta, die octaua mensis Iulii, præsentem multitudinem clericorum.

Die prædicto in palatio populi communis Forliuii, quod inhabitat dominus comes Romandiola, venerabilis pater dictus dominus archiepiscopus commisit & mandauit domino Michaeli archidiacono Rauennati, vt in præsentia prædictorum episcoporum, & de ipsorum consilio definiret, quod per ipsum dominum archiepiscopum deberet reiterari visitatio per prouinciam ecclesie Rauennatis. Actum, &c. In nomine Domini. Amen. Iniuncti a domino nostro Bonifacio archiepiscopo Rauennate officii cura sollicitat, vt his quæ a sanctis patribus instituta cognouit studio vigilantem intendat. Cum ergo per omnes prouinciæ eiusdem decretæ dioceses visitationem perfecterit, prout, Deo annuente, secure potuit, eique liceat visitationem per eandem reiterare prouinciam, superscriptorum suffraganeorum requisito consilio, de speciali mandato, & commissione ipsius domini archiepiscopi, nobis Michaeli archidiacono Rauennati facta, definimus visitationem per eandem prouinciam reiterari debere per dominum archiepiscopum superscriptum. Facta fuit definitio, &c.